ORATIO

DE OFFICIIS HOMINUM LITTERATORUM ERGA PATRIAM

HABITA IN REGIO ARCHIGYMNASIO NEAPOLITANO XIII. KAL. DECEMB. ANNO CIƆIƆCCXC.

A

DOMINICO CAPASSO

REGIO ETHICES PROFESSORE

IN ANNALI STUDIORUM INSTAURATIONE.

V. E. III

Θέμηλα θέμιδος ἐν Ἀκαδημιαις κεῖται.

Juſtitiæ fundamenta in Academiis ſunt poſita.

ALBERTO . CAPOBIANCO
VNIVS . VIRTUTIS . COMMENDATIONE
RHEGINO . PRIMUM . ARCHIEPISCOPO
PALATINORUM . DEINDE . SACRORUM
AC . REGIAE . NEAPOLITANAE
STUDIORVM . VNIVERSITATIS
PRAEFECTO . MERITISSIMO
DOMINICVS . CAPASSVS
G. A. M. D.

Digitized by Google

SI nihil Deo O. M. AA. qui univerſum hunc mundum regit, ac moderatur, eorum, quæ quidem in terris fiunt, gratius eſt, atque acceptius, quam concilia, cœtuſque hominum jure ſociati; nihil profecto homini ipſi jucundius, ac glorioſius eſſe poteſt, quam eam ipſam ſocietatem, in quam divino beneficio adſcitus eſt, impenſius colere, illiuſque utilitatibus, quantum in ſe eſt, conſilio, ſtudio, atque opera obſecundare. Quum enim civiles ſocietates Dei voluntate conſtitutæ ſint, quumque perennes ex illis fructus in communem vitam deriventur; næ is, qui earumdem incrementis, perfectionique ſtudet, non ſolum Dei ſanctiſſimis voluntatibus, quod ipſum ſatis amplum operæ pretium foret, obtemperat, ſed reliquorum etiam hominum laudem, gratiam, ac benevolentiam demeretur. Itaque apud omnes populos, omneſque omnium temporum, atque locorum nationes maximi ſemper habiti ſunt ii, qui ſingulari quodam, atque eximio erga Patriam amore incenſi, ejuſdem glo-

riam

riam, dignitatemque præclaris facinoribus amplificare ſtuduerunt. Neque vero hunc laudis aditum, atque hanc juvandæ Patriæ occaſionem iis dumtaxat patere exiſtimandum eſt, qui ſive generis nobilitate commendati, ſive eorum, qui ſummæ imperii præſunt, judicio ad ampliſſimos honores evecti magiſtratus gerunt, reique publicæ partes adminiſtrant. Nam ſicuti iis emolumentis, quæ ex vitæ communione dimanant, omnes utimur, fruimurque, ita ad omnes perinde Patriæ caritas pertinet, cui propterea cives quum omnia, quæ pro ſua cujuſque conditione debentur, perſolverint, cum officii neceſſarii munere perfungentur; tum juſtam etiam meritorum ſuorum laudem, ac fructum conſequentur. Quæ cum ita ſint, cumque pro veteri hujuſce Academiæ inſtituto in ſollemni ſtudiorum Inſtauratione publice ex hoc loco dicendum ſit; nihil ego aut ſocietati, in quam coivimus, utilius, aut vobis, quos eidem gratificari peculiari quodam modo neceſſe eſt, accommodatius fore exiſtimavi, quam ſi quæ, quantaque ſint, quæ pro muneris veſtri ratione Patriæ debetis, non tam longa vos oratione commonerem, quam brevi commemoratione in memoriam revocarem. Eſt enim magnum quiddam, atque eximium; quod jure ſuo optimo repetere a Vobis Patria videtur: quæ cum reliquis magiſtratibus hoc munus dederit, ut in corpora vim exerceant, cohibeantque pravas civium actiones, vobis longe nobiliores partes impoſuit animum, menteſque formandi, ut veſtra illi ſubacti diſciplina non tam vi, metuque, quam ſuopte conſilio civilibus inſtitutis obſequantur. Quod ſi tam præclarum munus honoris non minus, ac dignitatis, quam laboris, atque difficultatis plenum Vobis a Patria impoſitum eſt, Collegæ ſapientiſſimi, ſinite per veſtram

fidem

ſidem, ut a me, quæ ei muneri exequendo & a vobis, & ab omnibus, qui reconditam quamdam, minimeque vulgarem litteraturam profitentur, præſtanda ſint, audiatis. Quod eo vos libentius facturos ſpero, quod quæ dicturus ſum, & ipſi maxime ſentitis, & prædicari per me hodierna die, inſinuarique omnium animis deſideratis. Vos vero, Juvenes optimi, qui cum alias frequentes, tum hac potiſſimum die ad hanc ſtudiorum veſtrorum altricem Academiam conveniſtis, illud oro, obteſtorque, non ut benigne me, attenteque audiatis, quod ultro vos præſtituros confido, ſed ut, dum me hominum doctorum, atque ſapientium Officia erga Patriam perſequentem auditis, exemplum jam nunc eorum capiatis, quæ a vobis olim, cum optimis animum ſtudiis formaveritis, ſuſcipienda erunt, quo boni cives, nec Patriæ inutiles evadatis.

Cum multa commoda, inventis primum ſocietatibus, in humanum genus profecta ſunt AA. tum illud ego maximum judico, quod quibus antea hominibus in naturali conditione, nullo ſociatis civili fœdere, ſibi unis conſulere licebat, iidem, poſtquam, initis ſocietatibus, in cœtus, urbeſque coaluerunt, non ſibi ipſis ſolum, ſed aliis etiam, qui iiſdem legibus uterentur, proſpicere ſunt coacti. Exinde enim extitit amor ille in Patriam, cujus ea vis eſt, ut qui, communibus legibus, iiſdemqne propoſitis utilitatibus, ſociantur, hi ad communem omnes, publicamque felicitatem ſpectare debeant, pro qua cum vires, operam, ac facultates quiſque ſuas conferre, tum vitam etiam, ſi neceſſitas poſtulet, prodigere non recuſent. Neque vero durum id cuipiam, aut nimis fortaſſe operoſum videbitur, qui conſideret, privatam cujuſque conditionem ita cum Patriæ fortunis

conjunctam eſſe, ut qui hujus felicitati, & commodis velificatur, is non tam alienam, quam ſuametipſius rem, atque utilitatem quærere videatur. Id autem officium ſi optimo jure, & veluti ex fœdere ab ſingulis civibus expoſtulare Patriam non iniquum videtur, ab litteratis profecto hominibus, ſcientiarumque, & ſublimium doctrinarum Profeſſoribus efflagitare non æquum modo cenſendum eſt, ſed etiam neceſſarium. Nam reliqui quidem cives ſive artes ſocietati utiles profitendo, ſive negotia ultro citroque exercendo, ſive operam quamlibet pro re nata in publicos uſus conferendo, inſigniter illi quidem Rempublicam juvant, illiuſque vires, atque opulentiam ſuis laboribus, ſuaque induſtria alunt, atque ſuſtentant. Sed litteræ tamen majus quiddam præſtant, atque illuſtrius; ſiquidem illæ non has artes ſolum, atque hanc civilem induſtriam, quæ ſunt veluti fomenta publicæ utilitatis, nutriunt, perficiuntque; ſed imperium ipſum optimis legibus conſtituunt, eidemque gloriam, ſplendorem, majeſtatem, & quamdam quaſi ſtabilitatem pariunt, atque confirmant.

Difficile quidem eſt, &, pro hujus orationis inſtituto etiam longum, cauſſas ſigillatim proponere, quibus litteræ hanc, de qua loquor, dignitatem, felicitatemque populis conciliant; ſed ego ſupervacaneum judico, ubi facta rem indubiam faciunt, factorum ipſorum cauſſas velle curioſius inveſtigare. Itaque proponite vobis ante oculos AA. Europæ totius (ut de aliis terræ partibus taceam, quarum quæ nobis nota ſunt Imperia litterarum fata, atque viciſſitudines conſtanti quodam tenore ſunt conſequuta.) verumtamen proponite vobis ante oculos Europæ totius omnes populos, atque regiones, Britannos, Gallos, Germanos, &c. opum, armorum-

que

que gloria altero ab hinc ſæculo late floreſcentes Moſchos. Multa profecto ſunt harum omnium gentium inſtituta, alii atque alii mores, leges vero pro peculiari cujuſque cœli, hominumque indole variæ, atque diverſæ. Hoc tamen commune omnibus fuit, atque perpetuum, ut ii maxime populi belli, paciſque artibus reliquis anteirent, optimaque imperii conditione uterentur, apud quos maturius politioribus litteris aditus patuit, quorumque animis illæ pacatioris liberaliorisque vitæ ſtudium ingerendo, eoſdem ſenſim a barbarie ad humanitatem, a fœditate ad cultum, ab odiorum, cædiumque immanitate ad pacis, concordiæque conſilia revocarunt. Magnus ille Petrus Moſchorum Imperator vere primus num potentiſſimi imperii fundamenta jacere, tantæque gloriæ ſemina manu ſua ſpargere potuiſſet, niſi abjectis Majeſtatis inſignibus privatus ipſe cultiores Europæ regiones peragrando multarum artium diſciplinas diligenter arripuiſſet, arreptaſque ſecum in patriam advexiſſet, magnam quamprimum lucem, ſplendoremque barbaris antehac, incultiſque populis fœneraturas?

Nolo hic AA. ſingulorum populorum converſas, commutataſque in melius litterarum beneficio fortunas commemorare. Patrii tamen ſoli, altriciſque ſemper optimorum ſtudiorum Italiæ qui poſſum non memoriam recordari? Quid, proh Deus Immortalis! Quid illa miſerius, ac luctuoſius, poſtquam deleto Romanorum imperio in barbararum gentium ditionem conceſſit, earumque artium, quarum cultrix, magiſtraque reliquis fuerat, obliviſci coacta eſt? Equidem non poſſum ſine graviſſimo mœrore illorum temporum illuviem, acerbitatemque reminiſci. Hoc tamen vere a me affirmari poſſe arbitror, nullam tum fuiſſe hominis vitam ita tu-

A 5 tam,

tam, quæ non audaciſſimi cujuſque ludibrium, ac libidinem formidaret, privatam domum nullam ita munitam, quæ improborum violentiæ, ac latrociniis non pateret, nullius denique Reipublicæ imperium adeo firmum, ac potens, quod non alternis vicibus aut ſerviret ignominioſe, aut ſuperbe, crudeliterque imperaret; ut quot Urbes, tot bella, quot anni, tot calamitates, quot variæ Rerumpublicarum formæ, totidem crudelitatis, infortunii, miſerrimæque ſervitutis cauſſæ numerarentur. Has vero tantas, tam diuturnas calamitates num finem aliquando habituras fuiſſe exiſtimatis, niſi commodum litteræ ab Græcia per immaniſſimam Turcarum tyrannidem expulſæ, ejectæque in Italiam, velut in tutiſſimum portum confugiſſent? Illarum profecto manſuetudine, atque elegantia cum mitigari primo barbariei feritas, inducique paullatim politioris vitæ conſuetudo cæpiſſet, ſic deinde Italorum animi molliti ſunt, atque ſubacti, ut qui antea mutuis rapinis, cædibus, ac ſanguine, prope belluarum ritu, delectabantur, ii converſis repente voluntatibus iis duntaxat artibus animum appellerent, quæ cum ſummam ipſis laudem, ingentemque gloriam parerent, tum reliquis civibus pacem, otium, rerumque omnium affluentiam compararent.

Sed jam longius fortaſſe, quam oportuit, in litterarum laudem progreſſa cuiquam noſtra videbitur oratio. Sed vos, pro veſtra ſapientia, quorſum illa pertineant, jam perſpicitis. Etenim ſi hunc morum cultum, hanc vitæ ingenuioris elegantiam, hanc Imperii majeſtatem cum ſumma humanitate, liberalitateque conjunctam retinemus, ſi hæc omnia non armorum vi, non copiarum multitudini, non inſolito cuidam, inuſitatoque fortunæ beneficio, ſed litteris, utiliumque artium ſtudiis, quibus

bus jampridem Europæ populi delectari cœperunt, accepta referimus, jam quantum oneris, quantum curæ, ac ſollicitudinis vobis a Patria demandatum sit, ecquis eſt, qui non intelligat? Cum enim ſcientiarum vos cuſtodes, propagatoreſque eſſe voluit, optimas illa quidem vobis, & præcipuas, ſed arduas tamen, atque haud ſcio, an omnium publicorum munerum difficillimas partes impoſuit. Nam quibus ſcientiarum profeſſionem commiſit, iiſdem ea omnia, quæ neceſſario cum illis conjuncta ſunt, commendaſſe videtur, populorum cultum, artium conſervationem, vitæ dignitatem, totius denique Reipublicæ, omniumque civium ſalutem, gloriam, felicitatem. Itaque si ab reliquis hominibus hæc ſtudia vehementer expetuntur, propterea quod incredibili quadam voluptate animum perfundunt, a vobis non oblectationis ſolum cauſſa, ſed officii etiam, præceptique ſanctiſſimi religione retinenda ſunt, & conſervanda. Quapropter sicuti a militibus fortem, ac ſtrenuam in bellis gerendis operam, a Magiſtratibus innocentiam in judiciis, integritatemque deſideramus, ab ceteris autem civibus laborem, induſtriam, & singularem in omni vita honeſtatem; ita in hiſce ſtudiis excolendis, illuſtrandis, promovendiſque ſummam a vobis omnes efflagitant diligentiam, ſedulitatem, patientiam, & magnam in omnes partes animi contentionem, ut quod tempus alii homines ſuis obeundis negotiis, aut etiam honeſtis voluptatibus percipiendis impendunt, id si vos horum ſtudiorum occupationi detrahatis, ſummum dedecus, insignemque infamiæ maculam, nullo eluendam piaculo, contrahere videamini.

Atque hæc quidem privata opera, privatiſque laboribus præſtanda ſunt. Quid, quæ publica ſunt, & in homi-

A 6 num

num oculis verſantur, omniumque utilitatis interſunt? Neque enim ſi ſcientias ipſi dumtaxat excolimus, ſatis contenta eſſe Patria poteſt, niſi aliis quoque communicare, & tranſmittere ad poſteritatem ſtudeamus, ut commoda, quæ ex illis profluunt, ſic quaſi traditione quadam in omnium temporum utilitatem, ſi fieri poteſt, æternentur. Itaque ſapientiſſimum hoc omnium bene moratarum Civitatum inſtitutum fuiſſe accepimus, ut poſtquam optimam reipublicæ formam conſtituiſſent, tum ſedulam juvenum inſtitutionis curam publice ſuſciperent, quod prævidebant, iis ad civitatis inſtitutum probe educatis, bonarumque artium cognitione imbutis, optimos, ac ſtrenuos cives, ex quorum copia imperii ſplendor maxime exiſtit, numquam defuturos. Quapropter cum omnes, qui in ſocietate vivunt, non ſe ſibi ſolum, ſed aliis etiam natos eſſe exiſtimare debent, tum ii maxime, qui litteris præcellunt, hanc ſibi legem propoſitam eſſe intelligant neceſſe eſt, ut quantum ipſi ſuo ſtudio, quantum labore, ac vigiliis in ſcientiis profecerunt, tantumdem in alios, preſertim vero juvenes derivare conentur. Horum ſiquidem animus ut eſt ad comprehendendas celeriter ſcientias accommodatior, ita in magnam, & certam ſpem Rempublicam adducit, fore ut aliquando doctis probiſque civibus utatur. Neque enim cum Juvenum inſtitutionem vehementer litteratis hominibus a Patria commendatam eſſe dico, eam a bonis moribus, virtutiſque ſtudio ſejungendam eſſe exiſtimo. Itaque omnibus, quicunque litteras, ac doctrinas profitentur, duarum ego rerum maxime curam ſuſcipiendam eſſe arbitror, primum ut illarum ſtudium ad ſeverioris virtutis diſciplinam referatur, deinde ut ad civitatis, in qua nati ſumus, utilitatem, conſervationemque attemperetur.

Quid

Quid enim, ut a primo incipiam, quid, quæſo, attineret, tot nos, tantiſque cogitationibus diu, noctuque confici, quid univerſum prope vitæ tempus in rebus difficillimis aut intelligendis, aut explicandis conteri, niſi hic tantorum laborum fructus eſſet, ut poſtquam ipſi ad virtutis poſſeſſionem, tamquam ad metam aliquam, devenerimus, tum ejuſdem aſſequendæ deſiderium aliorum etiam, quorum inſtitutioni præſumus, animis inſtillemus? Patria certe id ſibi ab ſapientibus viris pollicita eſt, id vehementer expectat. Celebrantur in dies magna juvenum frequentia gymnaſia: obſtrepunt quotidie, ac reſonant noſtris auribus de Deo, de anima, de jure omni divino, atque humano, deque naturæ totius vi, & legibus diſputantium voces: nulla urbs eſt, nullus pagus, privata fere domus nulla, quo non humaniores litteræ pervaſerint, magnoque in honore ſint, & ſumma contentione excolantur. Sed hæc ipſa tamen gymnaſiorum ftequentia, hæc ipſa ſcientiarum copia, atque celebritas, niſi bonos cives Patriæ pariant, niſi naturalium, civiliumque officiorum ſanctitudinem inducant, niſi denique præter mentis illuſtrationem, animi quoque diſciplinam, informationemque afferant, quid, quæſo, aliud ſunt, quam ſimulacra quædam rerum ad ſpeciem quidem ſplendida, & magnifica, ad ſenſum vero mentemque ſapientium vana prorſus, & inania?

Quæri ſæpe curioſius video, qui vetus Romanorum Reſpublica ſub initium ipſum libertatis tanta ſapientiæ laude, tantaque illuſtrium facinorum gloria inclaruerit, etiamſi exquiſita iſta ſcientiarum varietate, & multitudine, qua nunc magnopere delectamur, prorſus caruerit. Multæ fortaſſis ejus rei ſatis probabiles cauſſæ afferri poterunt. Mihi tamen certum eſt, quid reſpondeam

Equi-

Equidem, quin antiqui illi Romanorum Patres ſubtiles haſce, & prorſus curioſas de quaque re acute diſputandi rationes aut nullas cognoverint, aut certe non ita magni fecerint, omnino non dubito. At ſolidiorem illam doctrinam Religionis, legum, morum, officiorum, tum eximiam quamdam adminiſtrandæ Reipublicæ artem, quod unum ſtudium cum ipſi homini utile, tum reliquæ ſocietati commodum eſt, & ſalutare, hoc, inquam, ſtudium non probarunt ſolum, ſed, audeo etiam dicere, multo etiam diligentius, quam nos excoluerunt. Deus Immortalis! Quam magna res illis viſa eſt, quam ſancta, quam religioſa juventutem ad omnem civilis officii rationem inſtituere, vitæque honeſtatem non tam voce, & ſcriptis tradere, quam exemplis, atque auctoritate animis conſignare. Publicus erat, ſtatutuſque Civitatis mos, ut ubi primum ex Ephebis pueri exceſſiſſent, ſtatim ad ſpectatiſſimum quempiam, & magnæ multiſque in rebus probatæ ſapientiæ ſenem deducerentur, cujus ſe diſciplinæ committerent, quem quotidie convenirent, quem de Deo, de ſanctiſſimis Religionibus, de juriſprudentia, deque morum honeſtate loquentem diligentiſſime audirent, cujus denique vitam, facta, cogitationeſque ſibi ante oculos proponerent, unde temperantiæ, juſtitiæ, fortitudinis, virtutumque omnium exempla deſumerent. Et miramur, ſi his magiſtris, ex hac ſanctiſſima diſciplina, nullis libris, nullo luxuriantium ſcientiarum faſtu, atque apparatu tot fortiſſimi viri, patriæque amantiſſimi cives prodierint, quorum opera, ac virtute tam celeriter Romanorum Reſpublica ad ſummum gloriæ, amplitudiniſque faſtigium pervenerit? Illud potius miremur, nos, quorum ſeculum eruditum, ac litteratum vulgo audit, quod incredibili quadam

dam, & ſplendidiſſima ſcientiarum omnium luce perfunditur, exinde tamen neſcio, an majora ad virtutem aſſequendam adjumenta, quam ad vitia, pravitateſque contrahendas incitamenta arripere.

Neque vero hæc ideo a me dici quiſquam putet, quod ſcientiarum amplitudini invideam, litterarumque incrementis offendar. Creſcant illæ, dilatentur, quoad ejus fieri poteſt, magniſque, & insignibus acceſſionibus ad perfectionem cumulentur. Sed tamen, dum ſummo illas ſtudio perficere, dum illarum ſemina quam latiſſime ſpargere adnitimur, ut interea vitæ quoque culturæ non oblivifcamur, utque, quo illæ neceſſario ſpectant, ad morum inſtitutionem dirigamus, hoc ego, hoc omnes boni mecum cupiunt, atque expoſtulant.

Id facillime conſequemur, ſi quibus illarum tradendarum munus concreditum a Patria eſt, & ipsi præclaris exemplis ad omnem honeſtatem juventuti præeant, & litterarum ſuavitate, quaſi delinimento quodam, hominis animum natura efferatum, atque licentioſum ad virtutis jugum ultro ſubeundum inflectant. Atque illud quidem minime verendum, ne qui litteras, doctrinaſque omne genus tradere ſe profitentur, non iis moribus, eaque vitæ probitate præditi ſint, quam tantopere desideramus. Etenim si cujus animus perverſis cupiditatibus lancinatur, ſi avaritiæ, ſi invidiæ, ſi ſuperbiæ ſtimulis agitatur, ſi nullam neque in dictis fidem, neque in moribus honeſtatem, neque in actionibus moderationem, ſed in omni vita fraudem, petulantiam, faſtum, improbitatemque ſingularem præſefert, etiamſi is mihi multarum, & magnarum rerum eruditionem venditet, numquam tamen, vere ut eum ſapientem exiſtimem, impetrabit. Quid vero ita? Quia ſi litteras penitus deguſtaſſet, ejus certe na-

naturam quantumvis immanem, atque importunam, litteræ tamen ipſæ aliquando emolliviſſent; quæ, quod in iis, qui hujuſmodi ſtudiis capiuntur, miram quamdam morum ſuavitatem, humanitatemque pariunt, humanæ idcirco ab omnibus & habentur, & appellantur. Reliquum eſt igitur illud, ut in juvenum inſtitutione ſummam curam, magnum laborem, diligentiam vero multo etiam majorem adhibeamus, ut cum gravium quæſtionum cognitionibus virtutis etiam ſtudium conjungamus, ut hujus guſtu, & quadam quaſi illecebra ipſam ſcientiarum aſperitatem, difficultatemque leniamus, ut quæcunque denique docere opus fuerit, phiſica, moralia, hiſtorica, divina, atque humana, ex omnibus hiſce doctrinis ſemper argumentum aliquod derivemus ad probam morum diſciplinam inducendam, atque ad officiorum omnium rationem confirmandam. Sit hæc ſcientiarum ſumma, hic fructus noſtrorum laborum jucundiſſimus, ut litterarum ſtudioſi juvenes quid Deo, quid Patriæ, quid ſibi, quid aliis hominibus debeant, & probe intelligant, & facere etiam parati ſint, ac perſuaſi. Id niſi præſtiterimus, &, ſi neglectis moribus, inani illa ſterilique ſcientiarum jejunitate delectabimur, erunt fortaſſe multi, qui ad vanam quamdam eruditionis famam aucupandam noſtras ſcholas concurſabunt, at bonis, & fortibus civibus, quod maxime intereſt omnium, Patria tamen carebit.

Sed agite jam AA. alterum illud, & omnium maximum officium, quod litteratis injunctum eſſe dixi, ut ſcientias ad civitatis utilitatem, conſervationemque referant, perſequamur. In quo nolite, quæſo, a me expectare, ut graviſſimi hujuſce muneris neceſſitatem ab ipſa, unde profectum eſt, origine repetam. Temporis enim anguſtiæ, præterea eorum, ad quos mea hæc fer-

tur

tur oratio, ſingularis doctrina, ac ſapientia in cauſſa ſunt, quamobrem minus, quam vellem, in ampliſſimo hoc argumento ſpatiari queam. Eccui enim horum latet, homines etſi proprio omnes arbitrio, atque appetitu natura præditi ſint, ubi tamen in civitates cooptantur, eam ipſam opinionum, cupiditatumque varietatem præcidi quodammodo, atque in unum veluti compingi, ita ut cum in ceteris privatæ vitæ actibus libera ſui cuique poteſtas permittatur, in re tamen publica procuranda, tuendaque unam omnium neceſſe ſit effici voluntatem? Ecquis non ab doctis, ſapientibuſque viris hoc ſæpe audivit, hanc ipſam unam omnium voluntatem eo potiſſimum ſpectare, nihil ut ſentire cives, ac ſuſcipere debeant, quod ad publicam civitatis ſalutem non collineet, aut ei certe non magnopere refragetur? Atqui cum ceteræ res omnes, quæ publice, privatimque geruntur, tum ſcientiæ præſertim oportet, ut ad communem illam, quam dixi, utilitatem dirigantur. Intereſt, enim plurimum Reipublicæ non ſolum quid cives agant, molianturque, ſed etiam quid ſentiant, quove eorum ſtudia, cogitationeſque ferant, diligenter attendere, propterea quod magnam ſcientiæ vim, magnumque momentum opiniones habent ad animum, moreſque hominum, quocumque libitum fuerit, inclinandos. Itaque æquiſſimo hoc ſemper jure rerum publicarum Rectores uſos fuiſſe video, ut ſi quæ doctrinæ, ſi quæ ſcholarum opiniones in vulgus prodirent, minus illæ quidem ad publicum bonum attemperatæ, earum vetandarum ſummam ipſi, & liberam haberent poteſtatem. Hegeſias quidam Cyrenaicus, quod copioſe, & vehementius, quam par erat, de vitæ incommodis diſputaret, a Ptolomæo Rege prohibitus fuiſſe dicitur illa in ſcholis dicere, quod

ple-

plerique, his auditis, mortem ipſi ſibi conſciſcebant: Romani ipſi populorum omnium facile ſapientiſſimi nonne Græcos Philoſophos diu Roma excluſerunt, quod rebantur illorum ſubtilitatibus, & de ſingulis quæſtionibus in utramque partem diſputandi prurigine elidi quodammodo, atque enervari juvenum ingenium, ipſamque cavillandi aſſuetudinem ſenſim homines ad virtutes ipſas corrumpendas adducere? Itaque ſi Principum eſt, atque Imperantium, ut ſcientiæ civitati proſint, diligenter providere, veſtrum profecto erit, qui illas excolitis, ita illarum ſtudium moderari, nullum ut ab iis periculum populi tranquillitati metuatur.

Utinam vero Majores noſtri hujus officii obſervantes, ac ſatis, ut oportebat, continentes fuiſſent! Illi enim ſæculi vitio quum inanes quaſdam, & ab hominum uſu remotas doctrinas conſectarentur, non ſolum nullum ex illis fructum commodo publico extuderunt, ſed populorum etiam jura, civiliſque Imperii auctoritatem inſigniter minuerunt. Num vero ignoratis AA. quam abjecte illi, quam perdite de Imperii Majeſtate, deque populi ſalutis lege ſuprema ſenſerint, qui, ſi quid ad Reipublicæ incolumitatem, ſi quid ad populorum gloriam, opulentiam, potentiamque ſtabiliendam civili auctoritate conſtitutum fuerat, id ſcriptis ipſi, ac ſermonibns palam oppugnarent, ac religionis etiam ſpeciem opinionibus ſuis prætenderent? Hoc vero diſſidium ſcholarum cum optima imperii conſtitutione, hanc opinionum pugnam cum commodo populorum ecquis non intelligit, quam neceſſario publicæ felicitatis augendæ ſtudium intercipere, ac retardare oportuerit? Hinc illæ clades, hinc illæ calamitates, hinc denique luctuoſæ illæ Urbium, populorumque direptiones, quæ præteritis temporibus

ribus tantæ fuerunt, ac tam miſere, crudeliterque Europæ populos afflictarunt, ut vix nunc, quum reſtitutis, reformatiſque ſcientiis rectius, ac melius de noſtris commodis judicamus, ſatis reſpirare poſſimus. Deus Immortalis! Una illa opinio late pervagata, atque omnium prope confirmata judicio non Dei arbitrio, non populorum conſenſu, non belli, aut hereditatis jure Regnorum ſucceſſionem propagari, quot ſeditiones, quot tumultus, quot pernicioſiſſima bella cum alibi ſæpe, tum in hujus paſſim florentiſſimi Regni regionibus excitaverit, quis eſt tanta eloquentiæ vi præditus, qui poſſit ſatis dicendo æquare? Itaque finite hoc loco AA. ſicuti pictores ſæpe faciunt, qui ſi fœdum quid aſpectu in aliqua imagine objicitur, imaginem quidem ipſam ſuis coloribus exprimunt, eam vero partem, qua oculi offenduntur, diligenter omittunt, atque occultant; ita me calamitatum noſtrarum commemorationem, quæ per quatuor ipſa, & amplius ſecula incertam, turbulentam, ac miſeram Siciliæ utriuſque conditionem fecerunt, ſilentio præterire, ne antiquarum cladium, iniquiſſimorumque temporum recordatione veſter animus, ſic quaſi vulnus tractatione ipſa, recrudeſcat, atque exacerbetur. Illud tamen ecquis non jure doleat antiquos illos ſcholarum noſtrarum ſapientes hanc ipſam ſane quam acerbiſſimam populorum conditionem non ſolum non ſenſiſſe, ſed legitimam etiam, & dignam, quam ſuo etiam judicio confirmarent, exiſtimaſſe? Ideo ne vero Patria otium, ſecuritatemque litteris præſtat, ideone litteratorum hominum ſtudia, atque labores ſummis honoribus, atque ampliſſimis dignitatibus remuneratur, ut hi illis ipſis dignitatum ornamentis, ipſaque penitioris doctrinæ opinione ad illius calamitatem abutantur?

Ita-

Itaque præclare omnino nobiſcum actum eſt AA. qui in hæc tempora incidimus, quibus nec veteris ignorantiæ caligine miſere obruimur, neque aliorum ſcitis, præjudicatiſque opinionibus magnopere commovemur; ſed naturam ipſam divinæ voluntatis interpretem ſequimur, cujus optimis præceptionibus imbuti, ſicuti civiles ſocietates ſancte, fideliterque colendas judicamus, ita ſummum illarum imperium omni ope tuendum, ac defendendum exiſtimamus. Equidem ſic ſtatuo AA. nequaquam fieri poſſe, ut naturam quis propius rimetur, illiuſque leges, ordinem, atque univerſam conſtitutionem animo comprehendat, quin idem ſentiat, hanc eſſe ſummi illius, & omnia gubernantis Dei voluntatem, ut & concilia hominum, Civitateſque exiſtant, & harum imperium ita certum, ita firmum, ita ſanctum ab omnibus, ac religioſum habeatur, itaque illius ſumma optimis, ac ſalutaribus legibus adminiſtretur, ut homines, qui in illis continentur, ſint, quoad ejus fieri poteſt, feliciſſimi. Ita fit, ut quanto ſcientiæ vehementius excoluntur, quanto naturæ ſtudium, populorumque, & populos regentium jura magis intenduntur, explicantur, confirmantur, tanto & ipſarum civitatum diuturniora futura ſint imperia, & majori cives, conſtantiorique pace, atque utilitate fruantur. Oderint ſane Orientalium regionum Dominatores litteras, oderint diſciplinas, doctrinarumque omnium lucem, ac ſplendorem reformident. Quid enim illi litterarum humanitatem, atque elegantiam ament, qui non ſe ſe hominibus, ſed ſervis, ſed belluis, ac, prope dixerim, ſtipitibus imperare volunt? Nos autem cur non iis ſtudiis valde delectemur, quæ animum erudiunt, privatas res regunt, publicas exornant, quæ civibus ſecuritatem, legibus obedientiam, Imperantibus fidem, amorem, reverentiam con-

conciliant? Etenim quicunque his doctrinis plane eruditi ſunt, atque exculti, etſi liberos ſe natos eſſe ſentiant, libertatemque ſummum in vita bonum putent; ita tamen illa diu ſe gaviſuros intelligunt, ſi intra certos, conſtitutoſque ab natura fines contineatur. Ita fit, ut quo cuique carior eſt libertas, eo Patriæ legibus, ſummiſque Poteſtatibus ſit ſubjectior.

Sed tamen hæc civilis inſtitutionis rudimenta, ſic quaſi ſemina quædam, ſcientiarum omnium diſciplinis incluſa quodammodo ſunt, atque interſperſa. Ut autem excludantur, ut exeant in vulgus, atque omnium animis hæreant, diligentia opus eſt, induſtria, ac magiſterio. Cui vero melius id, ac tutius demandet Patria, quam quibus juventutem, potiorem ſcilicet Reipublicæ partem erudiendam commiſit? Itaque ſi qui graviſſimum id onus ſemel ſuccollaſtis, ſi qui de proba Juventutis educatione tacite cum Patria pepigiſtis, ſimul & illud in vos recepiſſe exiſtimare debetis, ſcientiarum vos ſtudium ita porro exculturos, ut illarum ſi qua ornamenta ſint, atque præſidia, his ad populi ſalutem, ſupremique Imperii incolumitatem præſtandam uteremini, utque qui veſtris ſub auſpiciis illarum curriculum peragunt, hi & Patriam impenſius amandam, & illius commoda privatis rebus omnibus, ipſique vitæ, quæ cariſſima eſt, anteponenda eſſe ſibi perſuadeant.

Vos vero, Juvenes optimi, Patriæ ſpes, Sapientium cura, totius Reipublicæ ſeminarium (vos enim extrema hac qualiſcumque laboris mei parte compellabo, ad quos univerſa ipſa potiſſimum ſpectavit oratio) videtis profecto, Juvenes optimi, non aliam ob cauſam ſcientias aut ſummo, providentiſſimoque Dei beneficio homini attributas, aut communi populorum inſtituto, atque auctoritate publice excolendas, ediſcendaſque proponi

poni, niſi ut civium animis ad veritatis non minus, quam ad virtutis cognitionem atque amorem perductis, Civitatum ipſarum dignitas, gloria, ac felicitas conſtituatur. Simul & illud perſpicitis nullius hominis tempus, aut ætatem ſtudiis recolendis aptiorem eſſe, quam veſtram, cujus anni ſi primis ipſis, ac ſinceris virtutum rudimentis imbuentur, ſuboleſcent porro, atque explicabuntur feliciter in magnam, & uberrimam univerſæ Reipublicæ utilitatem. Itaque nolite per Deum Immortalem oblatam vobis cum veſtris, tum publicis commodis inſerviendi occaſionem prætermittere: nolite ſcientiarum, quod ingreſſi eſtis, curriculum alio, quam quo Patria vult, atque intendit, deflectere. Fuit profecto, eritque urbs hæc Neapolis, quam incolimus, ſive cœli clementioris amenitate, ſive genio quodam, otioque non ignobili incolarum, ſive qua alia aëris, ſolique temperie humaniorum litterarum cupida ſemper, ac ſtudioſa. Sed fuit eadem tamen omni tempore ſuarum legum, ſuique imperii, ſuorumque Principum ſingulari quodam ſtudio, atque amore inclita adeo, ac celebris, ut hominum, populorumque omnium conſenſu Fideliſſimæ ſemper cognomine diſtincta ſit, ac decorata. Itaque quum ad Regiam hanc illius Academiam avitarum ſcientiarum ſpatium percurſuri acceditis, parietes, ita me Deus juvet, parietes ipſos auguſtiſſimi hujuſce Muſei compellare vos, atque admonere arbitramini, majorum ut veſtrorum ſtudia, atque exempla imitemini, ut doctrinarum, quæ hic traduntur, cognitionibus ita quidem animum veſtrum erudiatis, ut & illarum continenti quodam ſplendore antiquam hujuſce Urbis gloriam, celebritatemque retineatis, & fructus, qui ex illis percipiuntur, ad veſtræ Patriæ, cujus impenſis, ac ſollicitudine aluntur artes, incolumitatem, dignitatemque accomodetis. Dixi.

NAU 534678

Digitized by Google

Digitized by Google